Reuerendissimo Dno Nicolao ab Amsdorff
Episcopo Numburgensi, viro praestanti pietate
et doctrina, patrono suo colendo.

S. D. Reuerendiss: domine. Redijt praeceptor ue-
strorum nepotum Martinus Frisius, ac adolescen-
tes ad usitatam assiduitatem reuocat.
Meam operam libenter saepius in emendatione
scriptorum et explorandis eorum studijs eis
impertirem, si saepius ad me accederent. Cum
autem iusserim eos crebro uenire. Et norunt
quam habeam tempora, minime occupata.
Quare tu quoque praecipias eis, ut et scribant sae-
pius, et emendationem meam postulent.
Me hactenus lites tutelae heredum doctoris
Christanni detinuerunt. Et aliud negotium
ex alio incidit, ut coram aliquando exponam.
Scio curarum estum R. D. T. satis molestum
esse. Sed haec nostra castra profecto etiam
plena sunt sollicitudinum. Aiunt Iulium

afferre ab Imp: literas ad certos principes,
ut sumptis armis inducant eum in dioecesin.
Si patriae suae bellum inferre curabit, magis
erit Iulio Caesari Tyranno, quam Episcopo
similis. Deum oremus, ut dissipet con-
silia impiorum qui bella volunt. Bene et
feliciter vale. Die. 16. Nouemb:

Philippus Melanthon.

Eximia pietate et doctrina praedito,
Viro nobili D. Nicolao Amsdorfio
Episcopo Ecclesiae Magdeburgensis
amico suo Cariss:

S. D. Georgium fratris mei filium commenda-
ui Magistro Martino Frisio, quem bene
nosti, ac consilij mei causas habui prae-
cipuas quod ille plurimum latine loqui solet,
et scholasticos latine loquentes habet,
et quod est in dialectica diligens et dexter

ram tradit. Inspiciam eius studia et ipse.
Sumptus mensae videntur et mihi satis mag-
ni, Sed feramus hoc incommodum, ut sit
in eadem mensa apud Magistrum. Si quid
autem voles mutari, significa. Omnia. n.
tibi integra servamus.

De fine conventus arbitror te audisse ora
ex vestris Senatoribus, qui in aula nostra
nuper fuerunt. Post tuum et meum
discessum ~~fuit~~ nihil actum est, nisi primum
de auxiliis Hungaricis, postea de pace
Germanica. Carolus Imperator pro-
posuit formam decreti, de qua utrique dispu-
tarunt. Nostri exhibuerunt, ut vocant,
declarationem, quam Carolus Imp. appro-
bavit. Exemplum haud dubie habent
vestri Senatores, Franciscus narrat mihi
in postremis certaminibus fuisse egregiam
Constantiam et fortitudinem, etiam illorum

qui prius fuerunt visi languidiores.

Iacobo Sturmio fuit acerrima contentio
cum Granvela. Oremus deum pa-
trem liberatoris nostri Iesu Christi, ut re-
gat, servet, et defendat Ecclesias nostras.
Nunc quidem dedit mediocrem exitum,
cum essent insidiae mira arte structae.

Mitto tibi dono librum χρονικὸν D. Doctoris
Martini, exiguum ut videtur, sed videbis
thesaurum esse pulcherrimarum rerum.
Hic cerni potest quo ordine subinde deus
excitaverit prophetas et veros gubernatores
Ecclesiae. Hunc catalogum considerare
malo, quam ullam Regum aut princi-
pum pompam. Scio tibi voluptati fore
lectionem huius eruditissimi monumenti.
Utinam Principes scribi tales libros curarent,
omissis illis suis obscenis venationibus.

Sed oremus Deum, ut ea scandala etiam deleat. His diebus fui Lipsiae. Nam Ioachimus Camerarius accersitur in Academiam Lipsicam. Iussi eum et Appiano scribere. Bene valete optime, pridie Cal: Septembris.

Philippus Melanthon

Viro optimo et egregia eruditione ac pietate praedito D. Nicolao Ambsdorffio docenti Evangelium in Ecclesia Magdeburgensi amico suo.

S. D. Hic tabellarius Hieronymus Suriniensis profectus ad vos, ut quaerat in schola publica apud vos conditionem. Docuit antea in ludo Goltpergensi, et habuit domesticam paedagogiam. Est satis literatus, et bonis moribus. In nostra Academia degit annum. Nunc paupertas

~~Franck gesesse~~

~~Hieronimus Pandeler~~

~~19 Hieronimus Pandeler~~

cogit eum quaerere conditionem. Rogo igitur, si ei locus in schola vestra esse poterit, ut eum commendes iis qui solent conducere hypodidascalos, aut si quem tu conducturus es ad erudiendos nepotes tuos. Iudico hunc ad eam rem idoneum esse. Pollicetur diligentiam et fidem. Quare eum tibi commendo. In Italia scias multa oppida propter famem et exsiccatos fontes et desiccata flumina deseri. Venetijs expulsa sunt circiter quindecim millia hominum ociosorum, propter inopiam frumenti. De rebus Anglicis interim allatum est, Cromwellum esse suspensum, dissectum, et tandem crematum.